

De Ho. 1534.

72 / CR 2, 738

S. D. Miror vobis hoc tempore, quo tantum est  
 alioquin publicorum periculorum ac negotiorum, etiam  
 hunc errorem Arabum curis esse. Venit huc sine com-  
 mendatione aliqua. Locutus est paucis cum Lutherus per  
 interpretem, qui scit Italicum, qui est Scholasticus noster,  
 is ait eum valde corrupte Italicum loqui; Idem mihi etiam  
 videtur Latine parum admodum scire. Tantum de Tri-  
 nitate dixit Lutherus sententiam orientalis Ecclesiae conve-  
 nientem cum occidentali Ecclesia. Nec possumus satis  
 colloqui, cum nullam occidentalem linguam recte calleat,  
 nec Latinam, nec Italicam, nec Graecam. Interrogavi  
 an sciret Graece scribere, negat se nosse characteres Grae-  
 cos, sed vulgare Graecum scire, credo, sicut Italicum scit.  
 Et tamen si scribere posset, utique intelligeremus. Hospes  
 est Valtin Ebrant et habet viaticum. Pras audio iterum  
 abiturum esse. Videtur mihi homo ingeniosus esse, sed  
 cum colloqui non possumus perfecte, de maximis rebus  
 non possumus satis iudicare, quid habeat vel iudicii vel  
 doctrinae. Invitavi ad me hoc vespero ad coenam una  
 cum interprete. vidi multos similes Arabes, sed omnes  
 indoctos, et nullam linguam eruditam scientes. Respub:  
 nihil ab eo periculi esse pato. Bene valete. Dominica  
 Trinitatis 1534.

Philippus.

Inscriptio

Eximio Viro D. Benedicto  
 Paulo Doctori utriusq; Ju-  
 ris suo patrono observando.